



Polyanthea Sacra

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

Spanner, Andreas

Augustae Vindelicorum, 1702

§. 4. Scandalum præ aliis punitur. Ex Veteri. Ex Novo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79369)

Multi sunt Catholici prædicando, quod hæretici faciebant per prava dogmata, hoc faciunt plures hodie per mala exempla: seducunt scilicet populum, & inducunt in errorem; & tantò graviores sunt hæreticis, quantò prævalent opera verbis. S. Bernardus ad Pastores in synodo congregatos.

Num. III.

Varia.

Animam pro anima Sc. Ex. 21. 23. Ex quibus sequitur, animam ejus, qui causa fuit, ut proximi anima, pretiosè Christi sanguine redempta periret; justò Dei judiciò perituram, nisi veram agat poenitentiam. Diez conc. 3. in Comm. Conf.

Sepulchrum patens est guttur eorum. Pf. 13. 3. Aut voracitas significatur inhiantis gula; aut in allegoria qui occidunt, & quasi devorant interfectos eos, quibus suorum morum perverfitatem persuadent. S. August. hic.

Fili, non semines mala in sulcis injustitiae. Eccl. 7. 3. Lyranus, & Dionysius, per sulcos intelligit pusillorum corda; quibus, vel per improbam doctrinam, vel mores, scandalum dant. Hugo Card. non facias opera mala, nec doceas perversa; quæ sunt semina injustitiæ. Sicut enim bona doctrina, & bona opera, sunt semina justitiæ; sic mala doctrina, & mala exempla, sunt semina injustitiæ. Pinna hic Ethol. 85.

Et propinabilis Nazareis vinum. Amos 2. 12. Accusat Judæos. Quòd si is, qui Nazareis vinum miscet, tantum subibit poenarum; quòd suppliciiò dignus erit, qui in animas simplicium hominum turbidam infundit potionem? S. Chrysof. lib. de virginib.

Sinite illos; cæci sunt, & duces cæcorum. Matth. 15. 14. Euthymius hic: grande malum est, aliquem esse cæcum: eum verò, qui cæcus ducatum cæco præstat, duplex certè malum est.

Portæ inferi non prævalent adversus eam. Matth. 16. 18. Certum est; Infernum, nec ferreas, nec ligneas, portas habere: sed portas hæc iniquos homines appellat, hæreticos & infideles; qui non contenti, malis sibi solis esse, etiam alios avertunt; idèò quasi portæ sunt, per quas perverti Infernum intrant. Diez conc. 1. ser. 3. Pent.

Clauditis regnum cælorum ante homines Sc. Matth. 23. 13. Omnes, qui malà conversatione suadent exemplum in populo: & qui faciunt injuriam eis, qui adhuc sunt pusilli in Christo, & imperfecti; occludere videntur ante homines regnum cælorum: & nec ipsi intrant, nec alios introire permittunt. Origenes tr. 25. hic.

Quasi dissipasset bona illius. Luc. 16. 1. Pretiosissima Dei bona sunt animæ rationales, Christi sanguine redemptæ: quas dissipat, qui pravis exemplis, falsis doctrinis, aut negligentia, eas ad vitia trahit; aut trahi permittit, nec revocat. Dion. Carthuf. hic.

Domine, jam factet. Joan. 11. 39. Factet peccatorum, qui percipitur, & sentitur, est utique mala fama, & detestabilis actio. & exemplaris infectio proximorum; cum exemplo unius peccatorum agentis multi corrumpuntur. Sim. Cass. l. 5. c. 15. hic.

Idèò irremissibilis fuit culpa diaboli, & inventa est iniquitas ejus ad odium: quia in malitia, quam, nullò suggerente, commisit, fuit subver-

sio, & ruina, multorum. Blesens. l. de Confeff. Sacram.

§. III.

Scandalum Deo exosum.

Erant peccatum puerorum grande nimis; quia retraherant homines à sacrificio Domini. 1. Reg. 2. 17. Deus tam ægrè fert alienas injurias, præsertim quæ in damnum cedunt spirituale animarum; ut de illis potiùs, quàm de suis, conqueratur. Unde Sacerdotum peccata exaggerari vult; non tam ex eo, quòd divinum honorem, & cultum, violabant; quàm ex eo, quòd homines à sacrificio Domini retraherant. Mendoza hic.

Plus decies quater inculcat Scriptura, quòd Jeroboam peccare fecit Israel. Did. Nissenus fer. 3. Dom. 1. Quad.

Cathedras vendentium evertit. Matth. 21. 12. Omnia peccata averfatur Deus; sed nulla æquè, ac flagitia cathedræ, id est, decentium peccata, & ad illa invitantium. Id. ibid.

§. IV.

Scandalum præ aliis punitur.

Ex Veteri.

In quocunque die comederis ex eo, morte morieris. Gen. 2. 17. Cur justus Deus tam leve delictum tam gravi luendum supplicio indicit? quia primam, & radix omnium postea committendorum. Nam graviore dignus est poenà, qui primus malum aggreditur, dux præit aliis; sicut Judas, qui fuit dux eorum, qui comprehenderunt Jesum. Act. 1. 16.

Qui debuisset reliquis virtutis esse exemplum, scandalum exitit, & ruina. Errata Prælatorum, Doctorum, Patrum, Dominorum; licet in se considerata levia videantur; propter delinquentis tamen auctoritatem, ex qua pusillorum, & infirmorum, ruinæ consequuntur, pro gravissimis computari, & puniri, solent. Fernandus in Gen. 2. sect. 8.

Maledictus eris. Gen. 3. 14. Multiplicabo arumnas tuas. Gen. 3. 16. Graviùs, quàm mulier, punitus est serpens. Tu quoque, si cæteris perditionis causa fueris, acerbiora patieris, quàm ii, qui à te fuerint supplantati. Sicut graviùs punita est mulier, quàm vir. Et Jezabel 4. Reg. 9. 33. acerbiores poenas, quàm Achab dedit; qui vineam eriperat. S. Chrysof. t. 6. orat. in secundum adventum D. N. J. C. Mulieri, quæ persuasor extitit, multiplicationem gemituum, ac dolorum, promeruit. Serenus apud Cassianum coll. 8. c. 11.

Obruerunt lapidibus, & mortuus est. Num. 15. 36. Theodoretus q. 37. in Gen. considerandum est, quòd primis Legum transgressoribus alia finè venià supplicia infliguntur: ut alii, punitione perspecta, transgredi non audent, Ob eandem causam tam rigidè Ananias, & Saphira, puniti. Act. 5. 5. 10. Velloso in Judit. 3. Paræn. 14.

Jabin Rex Asor misit ad Jobab Sc. Jos. 11. 1. Unam tantum Asor munitissimam flammam consumpsit. Et cur, præ reliquis civitatibus, una Asor experitur victoris iram? cur flammis tradit opulentissimam civitatem? cum minùs nobiles flammis non tradiderit, *Jabin Rex Asor misit ad Jobab Madon* Sc. Lyran: unam Azor munitissimam flammam consumpsit de illis, quas ceperat Josue; quòd fecit: quia Rex Azor induxerat alios reges ad pugnandum contra filios Israël, Naxera hic §. 25.

Aversio

Aversio parvulorum interficiet eos. Prov. 1. 32. *Aversio hæc tum passivè; quâ scilicet impij avertuntur à Deo: tum activè; quâ scilicet ipsi parvalos seducunt; & à Deo avertunt; accipi potest.* Cornelius hic.

Ex Novo.

Expedit ei, ut suspendatur mola asinaria in collo ejus etc. Matth. 18. 7. Bonum est ei, si lapis molaris &c. Quare non lapis, sed lapis molaris? quia lapis molaris, dum triticum terit, dum farinam fundit, à polline furfurum dum secernit; panem piè laborantibus subministrat. Bene ergo illi, qui eligit minister scandalii magis esse, quàm pacis, ad collum alligatur lapis molaris: ut hoc illum ad mortem trahat, quod illum trahere debuisset ad vitam: quia sensus ad vitam datos mortis convertit in scandalum; suadendo aliud videre, aliud audire, aliud sentire, aliud sapere; quàm erat in Christo, quàm erat in scientia salutaris. S. Chrysol. l. 27.

Va Mundo à scandalis. Matth. 18. 7. Ratio, quare tanta poena debeat scandalizanti, est, quia aufert Christo illud, quod amat maximè, scilicet animam. Sap. 11. 27. *Tua sunt Domine, qui amas animas.* S. Bonavent. in Luc. 17.

Sol obscurabitur. Matth. 24. 29. Deus enim hujus impietatis gentes arguet, damnabitque æternum: ac deinde in solem ipsum invectus; quod occasio gentibus fuerit illius amantia (licet sine sua culpa, ob mirabilem sui speciem & fulgorem) caliginosè tectum velamine ad vindictam obscurabit. Quantò verò severius Dei vindicis ira in eos delaviet; qui verè causa, & grandis occasio, multis fuerunt ad patranda enormia scelera. Feriantur nunc miseri fulguranti Domini voce. Matth. 18. *Va homini illi, per quem scandalum venit!* ut perierit nunc respiciant, & conterantur; nè æternis gehennæ cruciatibus torqueantur. Fernandus in Gen. 1. sect. 6.

Proiectus est. Apoc. 12. 9. Hoc de dracone bis dicitur. Naxera in Jos. 11. §. 25.

Cum parvas quaslibet res nobis injustè sublata districte djudicet Deus; credendum est, quod hominem sibi met subtrahi, pretiosam scilicet substantiam, æquanimiter feret? B. Petr. Dam. l. 5. ep. 16.

A scandalizando absterrètia motiva alia. Sufficiant vobis omnia scelera vestra domus Israel. Ezech. 44. 6. Perditio nobis privata sufficiat. S. Gregor. l. 2. Pastor.

Videte, nè contemnatis unum ex his pusillis. Matth. 18. 10. Multi ideò non curant, nec metuunt, alios scandalizare: quia parvi pendunt eorum personam; nec attendunt dignitatem naturæ ad Dei imaginem factæ, ac pretiosam sanguinis Christi pro eis effusi. Consideremus ergò dignitatem animæ rationalis; & beatitudinem, ad quam condita est; & quanta pro ejus salute tota Trinitas fecit; quanta Christus sustinuit, quanta beneficia contulit: inter quæ est superdignissimum corporis, & sanguinis sui Sacramentum. Et sic fiet, ut neminem aspernemur. Dion. Carth. hic.

Ecce viri quatuor portantes in lecto hominem. Luc. 5. 18. Marcus 2. 3. ait, à quatuor Polyanth. Sacra. Tom. II.

portatum. Quatuor homines paralytico huic fuerunt adjutorio, ut ad Christum tenderet; & salutem animæ, ac corporis, consequeretur. At nunc quatuor non invenies, qui te ad Christum adducant: imò quadringentos, qui te ab eo semoveant, & in Infernum ducant. Stella hic.

Peribit infirmus in tua scientia frater, propter quem Christus mortuus est. 1. Cor. 8. 11. Non est amplius, quò possit vel ipse B. Apostolus, qui audivit arcana Dei causam proximi magnificare: nec sic terret aliquid aliud; quàm quòd pro fratre nostro mortuus est Christus: ut sciamus, quantum sit malum, eum pervertere. Diez Amor proximorum.

Ad te clamamus exules filii Evæ. Cur non Adam? Non enim sufficiunt nobis mala nostras: sed sicut Eva Adam; sic nos alios maculamus ad malum. S. Bonaventura Stim. am. p. 3. c. 19. q. d. omne flagitium, benignissima Domina, dignum est lacrymis: sed illud maximè deplorandum, quod Evæ peccato est simile. Did. Niss. Dom. 5. Epiph. §. 5.

Sicut parvus lapis solus cadit, & non precipitat alios; sic nec personæ parvæ. Sed magni lapides, id est, personæ notabiles, exemplo malò multos precipitant. S. Vinc. Ferr. l. 3. Dom. 20. Pent.

Scandalosos rejice.

Ferant confessim confusionem suam, qui dicunt mihi, euge! euge! Pl. 39. 16. Per eos, qui dicunt, *euge! euge!* intelligere oportet eos, qui ad res turpes agendas incitant, & hortantur: qui statim pudore afficiuntur, quando eorum im probum consilium declinaverimus. Sancti Chrysol. hic.

Si dextera manus tua scandalizat te, abscide eam, & projice abs te. Matth. 5. 30. Non loquitur de manibus, & oculis materialibus; sed iis, quæ sunt occasio, scandalo, offendiculo in via virtutis. Euthymius non dixit, percutere; sed amputa, manifestans omnimodam separationem. Dicens quòd; amputa, non ibi permanfit; sed ulterius sermonem extendit, addens, *projice abs te*: nè in proximo remanens fiat rursus familiaris. Did. Niss. in Phœn. Græc. l. 1. c. 13. Et si tantum aliquem diligas, ut eò oculi utaris vice; aut ita tibi quempiam utilem esse putes; ut eum dexterae manus ducas iocò; & hi tamen animæ tuæ fortassis incommodent; etiam istos, inquit, à te abscinde. Et diligentius vim ipsam sermonis examina: non enim dixit, à talium societate discedes; sed maximam separationem indicens, *erue*, inquit, *ac projice*. S. Chrysol. hom. 17. hic. Quòd si membrum malè conjunctum abscindendum est, nonnè longè magis pravi amici? Id. hom. 56. in Joan.

Quisquis te observatione mandatorum Dei, virtutumque studio, revocat; is fit tibi execrabilis, ac detestandus: cum ejusmodi enim nè cibus quidem capiendus est. S. Nilus in Ist. Monachor.

Præcidamus ergò à nobis quasi manum, vel pedem, vel oculum; patrem, aut matrem; volentes nos agere contraria pietati: aut filium, vel filiam; qui quantum ad se, faciunt nos recedere ab Ecclesia Dei, & Christi dilectione. Sed essi uxor gremii nostri, vel amici unanimes, facti fuerint